



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 86. Veneti a Papa censuris liberati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

set amicitiam, atque in eorum ditionibus, priusquam in Gallias confugerat, tutum reperisset asylum, ac proin Senatores, quibuscum ei arctior nexus, atque consuetudo fuerat, animi sui magnitudinem, ac gratitudinem abs dubio suspecturi essent.

Sæcul. XVI.
A. C. 1510.

§. LXXXVI.

Veneti a Papa censuris liberati.

Itaque die vigesima quinta Februarii Anno Domini millesimo quingentesimo decimo Summus Pontifex Venetos non sine magna solemnitate a censuris, quibus irretiti erant, exsolvit: sex enim Reipublicæ Oratores coram Papæ pedibus prostratos in Basilica S. Petri publice facris restituit, injuncta iisdem septem urbibus Ecclesiarum visitatione; Conditiones autem hujus reconciliationis, si Guicciardino fides, hæc fuere. I. Interpositam ad Concilium provocationem revocarent. II. Nulla Sacerdotia, exceptis iis, quæ laici patronatus essent, cuiquam conferrent, nec in Curia Romana provisos in suorum beneficiorum possessione turbarent, causasque omnes sacras Romæ tractari ac dirimi, subditis suis permitterent. III. Decimas, aliave onera Ecclesiis non imponerent. IV. Omni juri, in res aut urbes ac ditiones Pontificias, præcipue

Guicc. l. 8.
Et 9.
Raynald. ad hunc ann. n. 2. Et 7.
Paris de Grassis t. 3.
Diar. Cere- mon. n. 5.
p. 520.

Sæcul. XVI. præcipue vero Vicedomini Ferrariensis
 A.C. 1510. Magistratui renunciarent. V. Romanæ
 Ecclesiæ subditis plenam relinquerent
 per totum mare Adriaticum navigandi
 libertatem, nec aliarum gentium pere-
 grinis quibuscunque mercibus, quæ eo-
 rumdem clientum navigiis veherentur,
 vectigal ullum imponerent, aut naves vi-
 sitarent. VI. Nullos ex Papæ vasallis,
 qui Romanæ Ecclesiæ perduelles, aut
 hostes sunt, reciperent, aut eorum caus-
 sas cognoscerent. VII. Pactiones omnes
 a Julii Prædecessoribus factas, quibus Ec-
 clesiæ Romanæ detraheretur, absque al-
 lia declaratione irritas pronuntiarent.
 VIII. Denique damna in hoc bello Ec-
 clesiis, earumque bonis illata resarcirent.

Petr. Juslin.
lib. II.
Delph. l. 9.
epist. 66.

His conditionibus Julius Pontifex om-
 nem indignationem deposuit, ac patro-
 cinium Venetorum suscepit, nec non con-
 sensit, ut Romanæ Ecclesiæ subditi Rei-
 publicæ stipendia mererentur. Itaque
 hæc eadem Respublica, quæ a multis
 retro sæculis præ aliis potentissimis Ita-
 liæ Principibus Vaticanum fulmen mi-
 nus pertimescere videbatur, jam in ea
 causa, quæ non nisi temporale commo-
 dum concernebat, promptam submissio-
 nem profitebatur, ac quibuscunque im-
 periosis ultroneæ pacis conditionibus,
 quas demum arroganti, ac fortuna sua
 elato

elato Principi dictare libuit, sese subjicere compellebatur (*).

Sæcul. XVI.
A.C. 1510.

§. LXXXVII.

Facta reconciliatione exercitus a Venetis conscriptus.

Veneti Sedi Apostolicæ ita reconciliati, in certam spem restaurandæ suæ Reipublicæ erigebantur; idcirco mox exercitum colligebant, ex mille quadringentis cataphractis, præter equitum leviter armatorum quatuor millia, decemque millia peditum, quos inter recensebantur Sedis Apostolicæ subditi, quibus Venetorum stipendia mereri, a summo Pontifice concedebatur. Unice adhuc desiderabatur exercitus hujus Dux; Comes enim

*Guicc lib 9.
Bembo hist.
Venet.*

(*) Nempe juxta Continuatores summis laudibus extollendi fuissent Veneti, si contemptis Ecclesiæ poenis suæ pervicaciæ insitissent, novum enim inde hausisset documentum, quo Pontificum censuras a Principibus elusas, continuato quasi usu demonstrare valuisset. Ast ejusmodi loquela manifestum facit Scriptoris nostri animum, in omnes, qui gentis suæ studiis quovis pacto adversantur, semper iniquissimum, semperque eos carpere paratum, qui tanquam Ecclesiæ Filii debitam summo capiti obedientiam profitentur.

Hist. Ecclesiast. Tom. XXXII.

H